



Aufgabe 25

TRANSKRIPTION



1. Wladislaus dei gratia Rex Polonie et cetera Civibus totique Communitati Civitatis nostre Craco
2. viensis nostris fidelibus dilectis gratiam regiam et omne bonum Ut Civitas nostra Cracoviensis predicta
3. in sua Policia et Bonis temporalibus felicia recipiat incrementa fiscus que nostrorum Thezaurorum
4. tantomelius augeatur vobis et vestrum cuilibet cum quibuscumque Bonis Rebus seu Mercibus
5. ad partes Walachie et Thatharie transeuntibus et transire volentibus ac abinde redeuntibus
6. per lemburgam Illis vero qui Thathariam transire voluerint ulterius per Podoliam et Came
7. necz liberum et sine impedimento quolibet transitum et redditum tenore presencium deputamus Volen
8. tes per omnes Capitaneos Woyevodas Burgravios Consules Cives et alios presentibus requi
9. rendos in prefatis nostris dominiis ubilibet constitutos et presertim per Cives nostros lemburgenses
10. sub nostre optentu gratie idipsum firmiter observari Harum quibus Sigillum nostrum Minus Inpres
11. sum est testimonio litterarum Datum in lublin feria Quinta In Octava Corporis christi Anno domini M
12. Quadringentesimo Tercio
13. Ad relacionem domini Clementis
14. Castellani Wisliciensis